

Casus Canonico-Moralis

Publius et Paula jam vidua, Melitenses, in America in matrimonio civili copulati sunt. Quos Melitam reversos cum omnes fere incolae cognoscerent non esse catholice conjugatos, Publius, post aliquod tempus, Paulam reliquit ut Lucillam, Paulae filiam, in facie Ecclesiae uxorem duceret. Ad Parochum igitur accedit Publius, desiderium suum illi exponit, eique insuper dicit se serio dubitare utrum Lucilla filia ipsius sit necne: "Bene, ait Parochus, impedimentum dubium, impedimentum nullum; vos conjungam in matrimonium, at prius dispensatio ab impedimento Affinitatis te inter et Lucillam exsistente petenda est".

Casu vero urgente, Parochus ipse a praedicto impedimento Affinitatis sponsos dispensat eosque, Ordinario inconsulto, in matrimonium conjungit.

QUAERITUR

1° Num bene argumentatus sit Parochus (a) circa dubium a Publio positum, (b) circa impedimentum Affinitatis.

2° Num validum sit hoc matrimonium et quare.

3° Si invalidum, num convalidari possit.

SOLUTIO

Ad 1um Valde male argumentatus est Parochus circa dubium a Publio positum. Dubium enim circa existentiam alicujus impedimenti matrimonialis esse potest vel *juris* vel *facti*, et dubium *juris* iterum esse potest vel *juris divini* vel *juris ecclesiastici*. Nunc vero, ex sententia Doctorum, (a) licitum est matrimonium inire cum impedimento dubio si dubium est *juris idque ecclesiastici*, quia in hoc casu Ecclesia supplet, vel potius quia lex ex voluntate Ecclesiae in hoc casu non obligat: "Leges enim — ait Canon 15 — etiam irritantes et inhabilitantes in dubio *juris* non urgent". Et quia cum hujusmodi dubio licite iniri potest matrimonium, Theologi dicere solent "impedimentum dubium, impedimentum nullum". Parochi autem non est, sed Ordinarii ad quem res est deferenda, si tempus suppetit, dicere de existentia dubii *juris*.

(b) Non licet tamen matrimonium inire cum impedimento dubio si dubium est *juris divini* aut *dubum facti*. Si primum, Ecclesia supplere non potest et proinde Sacramentum exponeatur periculo nullitatis; si secundum, constat Ipsam nolle supplere. Ordinarius tamen in hoc casu potest dispensare dum-

modo agatur de legibus in quibus R. Pontifex dispensare solet (1).

In casu nostro dubium Publii est *dubium facti* et quidem circa impedimentum *juris divini*, a quo R. Pontifex dispensare non potest, cum agatur de consanguinitate in primo gradu lineae rectae. Ergo, ut dixi superius, male argumentatus est Parochus dicens : "Impedimentum dubium, impedimentum nullum", et adhuc pejus egit Parochus sponsos in matrimonium conjungendo, quia ita laesit Canonem 1076 par. 3 matrimonia similia clare prohibentem.

Insuper male opinatus est Parochus circa existentiam impedimenti Affinitatis Publum inter et Lucillam. Impedimentum enim hoc contrahitur tantum a solo viro cum consanguineis uxoris et a sola muliere cum consanguineis mariti, et in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu, in linea vero collaterali usque ad secundum gradum inclusive (2). Sed cum ex nova disciplina fundamentum istius impedimenti sit matrimonium *validum*, sive ratum tantum sive ratum et consummatum, Publius et Lucilla nullo modo contrahunt hoc impedimentum, cum nullum matrimonium validum inter Publum et matrem Lucillae unquam exstiterit (3).

Superius dixi "ex nova disciplina", quia ante Codicem J. C. fundamentum Affinitatis erat *copula perfecta* quaecumque, modo revera *perfecta*, ideoque propter hoc et Affinitas illicita dirimebat matrimonium et quidem usque ad 2 gradum lineae collateralis inclusive. Hodie nulla Affinitas illicita exsistit.

Ad 2um Matrimonium de quo in casu non solum illicitum sed et invalidum omnino fuit. Ratio est quia inter sponsos existebat impedimentum dirimens Publicae Honestatis; hoc enim impedimentum, ex nova oeconomia, oritur ex duplice fonte, i.e. ex matrimonio invalido et ex publico et notorio concubinatu, et dirimit matrimonium non inter pseudo-conjuges, sed inter virum et mulieris (et vice-versa) consanguineos in primo et secundo gradu lineae rectae, non vero in linea collaterali (4).

Dixi "ex nova oeconomia", quia antiquitus tale impedimentum oriebatur ex matrimonio rato tum valido tum invalido,

(1) Can. 15.

(2) Can. 97 par 2 et 1077.

(3) Can. 97 par. 1.

(4) Can. 1078

dummodo tamen matrimonium invalidum non fuerit ex defectu consensus, et ex sponsalibus validis et absolute factis.

Quidquid sit, ut jam patet, Publius et Paula Lucillae mater vivebant in publico et notorio concubinatu, "cum omnes fere incolae cognoscerent sponsos non esse catholice conjugatos". Nec valet ratio dicendi sponsos in matrimonio civili copulatos esse, cum matrimonium uti vocant civile, inter catholicos, uti concubinatus hucusque semper habitum sit coram Matre Ecclesia. Cum ergo Lucilla sit filia Paulae concubinae, jam patet inter Publum et Lucillam adfuisse impedimentum dirimens Publicae Honestatis in lo. gradu linea rectae. Ergo invalidum est matrimonium inter praedictos, et Parochus potius ab hoc impedimento dispensationem petere debuisse. Ipse Parochus ab impedimento Publicae Honestatis sponsos dispensare non potest, quamvis in casu urgente, quia facultate dispensandi gaudet "solum pro casibus occultis in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti" (5).

Ad 3um Duplici modo matrimonia invalida sanari possunt, h.e., per simplicem convalidationem et per sanationem in radice. Prima sanatio triplici ex causa fieri solet, i.e., ob exsistentiam alicujus impedimenti quod dispensari potest, ob defectum consensus et ob defectum formae celebrationis matrimonii. Sanatio vero in radice, quae unice a Sede Apostolica concedi potest (6), ut fiat, quatuor conditiones requiruntur: 1) ut impedimentum sit juris ecclesiastici, 2) ut ab initio datus sit verus consensus, 3) ut hic consensus adhuc perduret in utraque parte, 4) ut existat causa proportionate gravis (7).

Ut igitur patet, matrimonium de quo in casu hoc pulici modo sanari potest, cum impedimentum Publicae Honestatis totaliter impedimentum sit juris ecclesiastici. Attamen, ut dispensatio ab hoc impedimento concedi possit, provideatur oportet conditioni quae olim apponi solebat in concedenda dispensatione super Affinitate illicita in linea recta, oportet nempe copula, habita cum matre mulieris, hujus nativitatem non antecedat, vel alio modo occurratur periculo ne vir propriam filiam naturalem ducat. Cum vero in casu nostro agatur praeceise de hoc periculo inter sponsos, Ecclesia non convalidat istud matrimonium et ideo pseudo-conjuges, Publius et Lucilla, quam citius separandi sunt.

A. TABONE.

(5) Can. 1045 par. 3.

(6) Can. 1141.

(7) Cfr. Canones 1139, 1140.